



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stella Mystica**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1607**

Anima ignorantiam & captiuitatem suam confitetur & ab ea petit absolut.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10014**

& in quibus sibi cōplacet, nisi qui peccatum & cœcitatē spiritua- lem inde proficiscentem oderunt? Hoc peccati & omnis alterius mali spiritualis odium pete: ac roga B. Virginem vt impetret tibi omnia gratiam ad iter tuum securè ac sine periculo continuandum necessariam, quod vt consequaris sequentem quaternarium pia mente recita.

Solue vincla reis,  
Profer lumen cœcis:  
Mala nostra pelle,  
Bona cuncta posce.

### MEDITATIO.

*Anima ignorantiam, & captiuitatem suam confitetur, & ab ea petit absolui.*

*Esa. 48.*

**H**X prædictis, Virgo gloriosa, didici non esse pacem & gaudium spirituale impijs, atque peccatoribus. cor eorum sem-

semper turbatum est: & quem-  
 admodum Propheta inquit, *Esai. 37.*  
*quasi mare feruens, quod quiescere*  
*non potest.* Heu me miseram! cum  
 Propheta Dauide verè dicere  
 possum: *Psal. 118.*  
*Complexi sunt me.* Et quod mi-  
 seriam meam magis aggrauat,  
 cœcitas mentis meæ tanta est, vt  
 peccatorum meorum neque  
 numerum, neque grauitatem  
 cognoscam. O virgo purissima!  
 tu es splendida maris stella: tu es  
 totius vniuersitatis Regina.  
 Quare sicut stella illumina me:  
 Et sicut Regina à vinculis expe-  
 ditum in libertatem me resti-  
 tue. Non me latet Dei solius ef-  
 se peccata dimittere, sed & hoc  
 scio, ipsum sæpè ad tuam petiti-  
 onem & intercessionem ea de-  
 lere. Sapiens mulier Abigail  
 cum intellexisset Dauidem per-  
 gere, vt vlcisceretur se de mari-

to suo Nabal, perrexit in occursum eius, & offerens ei munera procidit coram eo in faciem suam, rogans, vt indignationem suam deponere ac placari vellet: quam David humanissime suscepit, & propter illam omnem iniuriam Nabal marito eius donauit. Si David ad vnus fœminæ, quæ nihil ad ipsum pertinebat, preces, inimico suo omnem offensam dimisit, non dimittet Christus peccatoribus ad tuam, quæ dilectissima mater eius es, intercessionem? Lumen quod postulo necessarium mihi est ad peccata internoscenda. Nam, vt Propheta inquit, *delicta quis intelligit?* & statim subiicit. *Ab oculis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* O nos infœlices! ad aliorum defectus contemplandos nimis quàm ocu-

lati

Psal. 13.

lati sumus: ad nostros verò inspiciendos cœci: de nobismet ipsis bonam habemus opinionem, aliorum verò facta & dicta, imò & intentiones sinistrè iudicamus & interpretamur. Quapropter iterum te rogo, Virgo beatissima, illumina me claritate tua, ne permaneam in his tenebris. Libera me à malis omnibus: ab illis inquam quæ possunt efficere, vt ad priora peccata perpetranda redeam. Huius enim reciduationis spiritualis causæ quamuis plurimæ sint, primariæ tamen in me ipso consistunt: appetitus mei videlicet effrænati, & peruersi habitus peccandi, consuetudine acquisiti. Sanctus Iacobus Apostolus id testatur: *Vnusquisque, ait, Iacob. 1. tentatur concupiscentia sua abstractus & illectus.* Hinc est, quod Regius Propheta Dauid non con-

Psa 50.

tentus de præsentium peccatorum remissione, sed sollicitus de futuris ita Dominum precabatur: *Amplius laua me Domine ab iniquitate mea.* quasi diceret: Purga me à peccati culpa & simul ab omnibus malis inclinationibus, quas peccatum animæ meæ impressit. Idem ego à te, Beatissima Virgo, postulo, atque insuper oro, vt postquam me ab omnibus his malis eripueris, omnia dona, gratias & virtutes quæ mihi auxilio esse possint vt à seruitute peccati emergere, & in libertatem filiorum DEI transire valeam, mihi digneris impetrare. Hanc gratiam cum obtinero, tū ultra procellosi huius maris quod nauigo, pericula non formidabo. Nam vbi malæ cessant concupiscentiæ, ibi tentationes parum nocumēti possunt inferre, & vbi virtus

do.

dominatum habet, ibi peccatum omnem suam amittit estimationem.

SOLVE VINCLA REIS.

*Peccatum animam in servitutem redigere: & quomodo ab ea liberari possit.*

CONSIDERATIO.



Primum dicitur anima pia: peccatum in durissimam & asperrimam servitutem perducere: verumtamen ut hoc planius intelligatur, & malitia illius, impedimentumque quod omnibus ad salutis portum tendentibus obijcit, clarius perspicitur: Redige tibi in memoriam, *Effectus peccati mortalis.* quod ante dictum est, mortale peccatum hominem inimicum DEI, ac Sathanæ mancipium constituturum. Mancipium dico, & tale mancipium, ut per seipsum libertatem nulla ratione assequi possit. Aduerte præterea idem peccatum a deo contagiosum esse, ut animam quodam-